



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Christum Jesum suisse nummum à Deo Patre percussum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

## CAPVT XXI.

*Malorum patientiã Christianum, velut nummum Regis imagine signari.*

### §. I.

*Christum IESVM fuisse nummum à DEO Patre percussum.*

**I**lla porrò in superioribus non semel memorata Isaiæ sententia, quã Christum in passione describens, illum tanquam à DEO percussum considerat; hanc etiam nobis cogitationem ingerit, quã fortè non inutilis videbitur, ad malorum nostrorum patientiam consolandam.

Cùm etenim certum sit è divinis litteris, Christum crucifixum esse lytrum & pretium magnum redemptionis nostræ: eum non immeritò spectabimus, velut nummum, pretiosum & probatum; quo divinæ justitiæ representato, grande illud debitum, quod in primo parente contraxeramus, dissolutum est, atque antiquum nomen expunctum, & vera libertas ac vita æterna mortalibus comparata.

Quod si quæras hoc viso numismate: *Cujus est imago Matth. 22. hæc & superscriptio?* Respondet olim jam Isaias: *Non est species ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum.* Habes hic nummi imaginem, & quã ille formã, tum etiam à quo percussus sit. Et hæc est superscriptio ejus. *Propter scelus populi mei percussi eum.*

Nummus hic ut esset moneta proba, & æterno Patri ut pretium nostrum accepta, percuti debuit & ictu crebro tundi divinæ justitiæ manu, in incude crucis; & jã non modò servi formam accipere, sed in virum dolorũ & quasi leprosum configurari. Idemq; rursus, non leviter aut obscuris



seuris notis, sed altè omninò, flagrorum, spinarum, & (ut ferè usus est in nummis nostris) ipsà forma crucis, impressus apparuit; & ita ex omni latere percussus, ut nulla in eo reperiretur particula, crucis figurà non insignita, hoc est doloris aut ignominia vacua. Quòd si ipse DEI Unigenitus, qui seu formam DEI, seu formam hominis in eo spectares, totus aurum erat & pretium, attamen validè à DEO Patre percuti debuit, ut ista passionis & crucis tanquam publicà & legitimà formà signaretur: quid demum me fiet; aut quantis me putem, & quàm validis afflictionum ictibus, ut debitum in modum configuret, esse pulsandum? qui, ferri instar, vilis & obscurus, tum etiam ad typi divini impressionem durus sum; insuper & alià formà antè percussus: mihi ut recedendo reformandove, eò majore vi, eòq; pluribus ac repetitis percussibus opus sit; dum veteris hominis effigie oppressà & abolitã penitus, novissimi Adam imaginem, hoc est, Jesu Christo crucifixo, consigner. Veluti nos quoque admonet B. Apostolus: *ut sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis.* Sed hoc ipsum modò paulò pluribus exequendum est.

## §. 2.

*Nos quoque, ceu nummos percutiendos; & eadem cum Christo imagine signandos esse.*

Quamobrem ut ista commentatio, in rem usumque nostrum transferatur; utile erit quæ subjungimus, paulò accuratius expendere.

*Primum:* cum etiam unusquisque nostrum nummus esse debeat, quo cœlum & vita beata comparetur; secundo dùm quod à S. Augustino, de Regni cœlorum pretio disserente dictum est: *Res ista tantum valet, quantum es tu; et Ep. ad Madam, & habebis illam:* Et à S. Ignatio Martyre in quadam epistola: *Virum pium esse numisma à DEO signatum:* etiam atque